

B. ÆGIDII
COLVMNÆ,
ROMANI
ORDINIS EREMITARVM
S. AVGVSTINI

QVONDAM PRIORIS GENERALIS,

S. T. DOCT. vulgò, FVNDATISSIMI,
ARCHI-EPISCOPI BITVRICENSIS
ET S. R. E. CARDINALIS,

QVODLIBETA

REVISA, CORRECTA, ET VARIE ILLVSTRATA, STUDIO
M. FR. PETRI DAMASI DE CONINCK
BRVGENSIS, EIVSDEM ORDINIS

Lovanij S. Th. Doct. & Prof. sui Monasterij Prioris, & Librorum
Sui Ordinis Revisoris Generalis.



L O V A N I I,

Typis HIERONYMI NEMPÆI Anno M. DC. XLVI.

ADMODVM REVERENDO ET AMPLISS. DOMINO,

D. EDMUNDO

IOVVENT;

MONASTERII B. MARIAE

DE ALNA

CISTERCIENSIS ORDINIS

ABBATI

Nec non per Patriam Leodiensem ejusdem ordinis

VICARIO GENERALI

Vigilantissimo &c.



ON deērent (Reverende admodum & Amplissime Præsul) qui hunc meum laborem, quem obedientia, sanctorum amor, & veteris synceræque doctrinæ, non fucatæ, desiderium, nec nō ordinis mei stimulus humeris meis imposuit, probrosè & violenter in reprehensionem sint rapturi, meque ambitionis damnaturi vel inscitix, quod in hoc tam erudito sæculo, in quo tantus est felicissimorum ingeniorum proventus, & si vel umquam, verificari potest istud scientiæ divinæ stupendo splendore illustris, Israëlitarum Regis *Salomonis*, oraculum, *scribendorum librorum non erit finis*, ego rudis non verear, quasi eorum inopiâ laboraret orbis, ac mihi diffiderem, tritas nunc, & abolitas, longitudine temporis, veterum lucubrationes versatissimorum hominum theatro spectandas & legendas obtrudere: ac, non potius in *eremo* mea *Augustiniana* delitescens, honestè tacere præoptem, quam vulgata nunc scribendo &

do, & veterem cramben revoluendo, nauseam unicuique pariam, & omnium risui me turpiter subfannandum exponam. His tam malignis litigatoribus, tamque ingeniosis alienarum vigiliarum censoribus, etsi uno verbo respondere posses; ut, cum tam arrogantes in respuendis, aut tam delicati sint in fastiendis omnibus ijs, quæ ab illis profecta non sunt, suas lucubrationes exhiberent, omnibus punctis & numeris absolutas, eaque industriâ elaboratas, eo ingenio meditatas, ut in his nihil possit inveniri, quod ante, si non operosius, saltem æquè utiliter dictum non sit, qui exscribendis potius veterum conceptibus, furtivè surripiendis, inde gloriam inanem variè captaturi, quam novis & utilibus doctrinis, & studiosissimis hominibus non familiaribus, toto conatu nervisque omnibus incumbunt. Sed etsi quovis modo inauditum, sui ingenij prole, eniterentur; an non talia forent, ut in ijs nihil posset desiderari, aut ut leviter expensum, & parum scitè positum, & somniculosè irreptum reprehendi? quin dicam, apertissima falsitate, & contra firmissimas sanctissimasque Ecclesiæ columnas, orthodoxos Doct. Ecclesiæ probatissimum stylum ineptientibus adversitatibus & tacitis cachinnis non scateat? certè, ut hoc ætatis summa est eruditionis, & cultissimorum ingeniorum copia, ita non alia fuit majori fædè errantium numero fecundior. Errorum labyrinthis implicati sunt summis etiam ingenijs multi Theologi: & in alia errorum salebra hærent alij viri, & doctissimi & eloquentissimi, non juvenes modò, sed etiã senes multi, & illi doctissimi iam decurso ætatis spacio multis, ineptijs & erroribus suam canitiem primum contaminant; imo, nec, editis libellis, sua errata pertinaciter propugnare verentur.

Sed hæc missa facio: nec enim tenuitatem meam aliorum exiguitatibus, astutijs & erroribus adducendis sublevare cupio vel tueri. Hoc tantum modo mihi in votis est, ut con-

tra tales *Ægidio* huic, & conatibus & lucubrationibus meis Patronum habeam, qui auctoritate, benevolentia, candore, synceritate talium scycophantarū morsus comprimat, meam tenuitatē excuset, vota acceptet, ijs graviter annuat, remotis fuco, larvisque. Talis inter multos Tu (*Præsul Amplissime*) facilè primas tenere mihi videris, quem monasteriū Alnenſe velut solem suum adorat, & ordo mellifluus hiſce partibus strenuum protectorem, Ecclesia Alnenſis ornamentum, doctrina tam aſsiduum promotorem in illuſtriſſima Bibliotheca, quam tot curis, eaque tua liberalitate totius Belgij opulentissimam novimus, quò, ſi quid de quocumque ſcibili mens aliqua vel docta, vel curioſa, vel humilis peperit, hætenus, quibuſcumque expendijs, evocaſti velut omnium ſcientiarum advocatus in tuam tutelam. Sed & animi tui candor non obſcuris argumentis paſſim omnibus perſpectus eſt, at verò certis & infabillibus: ita enim animatus es, ut nullius laborē aut conatum reprehendere ſoleas, quamcumque tandem rem quiſpiam aggrediatur, modo honeſtam & à laude non abhorrentem. Neque verò ſolum, quantum conatui ſuccellus reſponderit animadvertendum exiſtimas, aut ubi ingenij imbecillitas rerum difficultate victa defecerit: ſed ipſum conatum in laude ponendum contendis, neque non ſtudium & diligentiam rei arduæ impenſam, & adhibitam. Hoc eſt candidum eſſe, & virtutibus, cum primis, humaniſſimè & pulcherimè exornatum. Omitto rerum uſum, quam prudentiam vocant, ac pulcherrimarum diſci-
narum cognitionem, & ſuper omnia ſedulam pietatem. Illud tuum pectus planè niveum, candidum, maturam auctoritatem unicè exoſculor. Adeoque hoc certâ aliqua ſignificatione propiùs cognoscens non veritus ſum *Admodum Revere-
rende Amplitud. Tua* inter alias magni *Ægidij*, verè *Columna* ſcientiarum, opera, quæ revidere corrigere, illuſtrare &c. in mandatis habeo, & votis, haſ quæſtiones quodlibeticas, ſci-

oilium omnium sæcundissimas officinas offerre muneri, nihil dubitans te non tam doni pretium, quam donantis inspecturum animum. Qualis æquidem quantusque fuerit Ægidius vitæ ejus epitome, quam subjungo, manifestat: quem scholæ suæ ordo noster Erem. D. Augustini elegit antesignanum. Illustratus ille, ac hodiernis desiderijs accommodus, meâ venit operâ. tibi que appetit adhærere; etsi pluribus displiceret: nec enim placere omnibus cuiquam conandum est; mortalibus, inquam, quibus omnibus Christi causa displicere luberet ut cum eo loquar, qui ait; *si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem*: mortalibus verò se interponi., quorû aliquibus dorsum obvertit, ut tuâ clientelâ potia-
tur. Omnibus quidem acceptum esse ne *Io-vi* quidē deorum summo à *Parcis* concessum: summis autem placuisse viris solidam esse laudem profitemur. Meum ergo, Antistes Amplissime, tibi probetur exercitium, quod offero, quem raris, cum illo, juvat auribus placere, Ægidianæ primitiæ, quodlibeticarum quæstionum cumulus: Ego præter anni huius felix auspiciū, ut, hoc stadio decurso, illam notitiam quodlibeticā nanciscaris, qua uno in speculo cuncta videantur, quæ sola nos facit beatos esse, intimis medullis exopto.

Dabam Lovani 28. Ianuarij 1646.

Admodum Reverendæ Amplitud. Tuæ.

Servus humilis

F. Petrus Damasus de Coninck.
Ord. D. Augustini.



ELOGIVM

Ex Curtio Vir. Illustr.



Hoc egregium Religionis Augustinianæ ornamentum Roma protulit, fœcunda semper parens virtutum atque ingeniorum. Origo illi ex nobili eâque veteri familia Columnnorum, quam virtutum suarum decore ad immortalem gloriam illustravit. A parentibus mores optimos puer imbibit; adolescens à magistris hausit insignem liberalium artium eruditionem. Ingenio erat sagaci, acri judicio, memoriâ verò suprà quàm credi potest, tenaci & capaci. In album fratrum Eremitarum S. Augustini adscriptus, animum, quem pietatis studio dederat, ad scholarum quoque exercitia appulit; tanto equidem conatu, ut æquales omnes sine omni æqualitate antecelleret. Philosophiæ abdita illi tam clara erant, ut nusquam hallucinaretur; adyta tam aperta, ut penetraret omnia; studium denique ejus tam jucundum, ut vivere in eo tantùm videretur. Primis hisce studijs satis instructum Clemens Auximas, Ordinis Augustiniani supremus Præses, destinavit in Galliam ad nobilissimum omnium scientiarum emporium Parisios, ubi cum Augustino Triumpho, Theologorum Phœnicem, Thomam Aquinatem audiret. Et verò audivit purgatissimis auribus; ejusque vestigia tam religiose legit, ut qui à Thoma palàm dissentiret ÆGIDIUM alioqui virum mansuetissimum, hostem inveniret. Invenit certè Guilielmus Lamarensis, è familiâ Seraphicâ S. Theologiæ professor Oxoniensis, qui tunicæ suæ nimium amans, alienæ impotenter æmulus, *Divi Thomæ Reprehensorium*, & *S. Bonaventuræ Defensorium* impudenti calamo scribillare, & in publicam

Mâlè Gerden. Gallæ, Gnaltherus alium à Columnaio facit.

non aris chronologicè Triumphum: cum anno 1280. Triumphu anno 1330 ascribit.

lucem emittere non erubuerat. In hunc ergo strinxit ÆGIDIVS stilum, & magistri sui doctrinam Parisijs jam periclitantem, spectantemque exilium, tam generose defendit, ut Schola Lutetiana, omnes denique Thomistæ plurimum *Columnio* debeant. Ceterum tanta erat in viro animi modestia, ut, qui nihil ignorabat, scire suum nihil esse autumaret. Si quando à Thomæ sui sententiâ abeundum sibi putabat, excusabat tenuitatem ingenij sui (quasi argumenta aliter opinantis) cui nullum interim, nisi Magni, nomen dabat) non satis intelligeret. Vbi verò in falsosimiles opiniones scribendum aut dicendum erat, (quod in scholis solemne est) moderatissimo id calamo & placidissimâ voce faciebat. Quâ animi demissione omnium animos rapuit; ut nescirent, magisne profundam ejus doctrinam, an modestiæ religiosæ virtutem admirari deberent.

Gordon.
Malè hoc
refert in
an. 1293.

Trithemius

Regist. ord.
& const. 5.
p. c. 2.

Claruit, ac
vit. an. 130.
io. Gerard.
an. 1340.
Dath. 1460.
Dion. à si
gillo edidit
a. 1575. an-
notationes
in opera
Ægidij
an. 1285.

Claud. Rob.
in Gall.
Christ.
Bzeu. an.
1285.

Ren. chiop.
Mon. l. 2. tit.
1. n. 15 fac.
du Brenl.
Th. an. Par.

Galliarum Rex Philippus III. cognomento Audax, tanti æstimavit ÆGIDIVM; ut eum Philippi Pulchri, filij sui studijs moribusque præfectum daret: quem ille bonis artibus, sed magis Principe dignis virtutibus imbuere conatus est; & præcepta, non modò auribus ejus instillare, quæ in ventos abirent, sed scribere etiam posteris Regibus documenta nunquam intermoritura. Didacticon ergo opus illi dedicavit, *de regimine Principum*. Porro cathedram magisterij, quam ex Ordine suo Primus ascendit Parisijs, tantâ cum majestate implevit, ut post Doctores, Angelicum & Seraphicum primas ei Academia meritò lubensque detulerit. Miraculi loco habendum est, quod ÆGIDIVS, qui voluminibus tam multis magnisque conscribendis tot annos impendit, nunquam memoriâ lapsus sit; ut in sententiarum ambiguitate, ubi sentire aliter & aliter ubivis cuivis licet, ille semper idem sentire potuerit, nunquam à se diversus; nihil ediderit transverso calamo aut censoriâ virgulâ dignum: ut hinc Sorbonistæ eum Doctoris *Fundatissimi* titulo insigniverint. Fundamenta enim doctrinæ suæ jaciebat ubique irrefragabilia; quæstiones perplexas enodabat dilucidè, rerum arcana solertissimè indagabat, dicebat clarissimè; omnia denique latissimè explicabat, ut divinæ juxta humanæque sapientiæ secretissima, ipsis quasi oculis manibusque usurpassè videretur. Apud suos eam doctrinæ famam collegit, ut Patres Florentiæ in Comitij Generalibus sub Clemente Auximate congregati anno .m. cc. lxxxvii. sanxerint F. ÆGIDII. Romani doctrinam in scholis esse recipiendam, ac omnino defendendam. Verba decreti sunt. *Quia venerabilis Magistri nostri fratris ÆGIDII doctrina mundum universum illustrat, definimus & mandamus inviolabiliter observari ut opiniones, positiones, & sententias, scriptas, & scribendas prædicti Magistri nostri, omnes Ordinis nostri Lectores & studentes recipiant, eisdem præbentes assensum, & eius doctrina omni quâ poterunt sollicitudine, ut & ipsi illuminati alios illuminare possint, sint sæculi defensores.* Quam deinde semitam secuti plerique omnes: præ alijs Iacobus ille Viterbiensis, cui prius, quàm Archiepiscopalem Neapoli infulam indueret, ob ingenij subtilitatem scholæ *Speculativi* cognomentum indiderunt. Gerardus deinde Senensis: cujus demortui venerandum caput, ob singularem scientiam publicâ lauru solenniter Academici coronarunt. Denique Ioannes Dathus, Imolensis Episcopus; & quam-multi alij. Philippus verò Pulcher, cum à Remensi inunctione Lutetiam novus Rex adventaret, ubi non ignorabat se pro scholarum more, solenni oratione exceptum iri, jussit eum, cujus præcepta adolescens libenter audierat, etiam tum dicere, & se jam virum ac Regem pædagogicâ auctoritate instruere. Quod tam luculentè fecit, ut Regis animum ita commòrit, ut Iustitiæ, quam mortalium flagitia terris proscripserant, postliminiò in Galliæ regiâ urbe domicilium perenne conderet, & sacrum *Parlament* tribunal dedicaret.

Porro intra Lutetianæ Academiæ parietes latere Vir tantus non diu potuit. Sub initium anni .m. cc. xcii. coactus Patrum Augustiniarum Senatus Romæ in coenobio S. Mariæ de populo, unanimis suffragijs *COLUMNAM* ad Religionis universæ clavum alligarunt. Quam invitatus, tum oneri humeros submisit, tam sedulus deinde commissam sibi provinciam administravit. Nunquam plus incrementi accepit Ordo Augustinianus quàm sub hoc Præfecto, quem a sapientiâ & sanctitate, duabus profectò religionis gemmis, totus Orbis venerabatur. Religiosi Fratres de poenitentiâ IESU Christi, à vili veste Saccitæ vulgò nuncupati, cum à priori vivendi instituto quotidie se deficere animadverterent, ad Eremiticæ vitæ amorem ÆGIDIANO exemplo accensi, locum, quem à Divo Rege Ludouico sibi Lutetiæ designatum annis non amplius triginta duobus incoluerant, sedesque suas, & larem sacrum illi ceu Ordinis supremo Præsuli obtulerunt, pactisque conditionibus pridie Eidus Octobris

breis ∞ . cc. xciii. tradiderunt; cū prius mense Aprili liberalem Philippi Regis Pulchri gratiam, & Simonis Parisiensis Episcopi benevolum assensum impetrasset. Regem Anglorum sibi devinxerat *Commentario* illo, quem *in liberos posteriorum Aristotelis* scripsit, flagitante Stephano de Mauley viro principe inter Britannos: ut huic uniejus lucubratiunculæ debeamus monasteria, quæ in illâ Insularum omnium maximâ obtinuimus plurima optimaque. Guidonem Flandriæ Comitem sibi conciliavit, dum filio ejus Philippo obsecundat roganti, Elenchorum Sophisticorum sibi libros illustrari: ut huic illius scripto etiam acceptum referamus, in principe urbe Gandavo monasterium, quod *Borluty*, potens ibi familia, in suo nobis fundo erexerunt. Quid dicam de immortalis beneficio, quo Pontifex Maximus Bonifacius IIX. immo Ecclesia illi universa obstricta fuit? Exemplum nunquam antea visum neque repetitum postea, Cælestinus V. præbuerat, qui ex eremi latebris ad summum fastigium evectus, dignitati Apostolicæ, cujus oneri impares suos humores agnoscebat, renuntiaverat, & ad loca sola, tanto semper opere amata, libens reverterat. Principes interea quidam & Reges dolere, scilicet, qui Pontifice nihil non indulgente, Ecclesiæ patrimonium arrodere cæperant, regna quoque integra devorandi spe certâ tumidi; & Bonifacium VIII. successorem, bonis, quæ iste prodigè effuderat, recuperandis, aut retinendis, quæ alij velut esurientes lupi inhiabant, intentum, sugillare atque apud omnes ambitionis & fraudis reum peragere. Et jam propè aberat, ut in ordinem Bonifacius innumeris multorum ledorijs aspersus retraheretur, magno cum damno scandaloque universi Orbis Christiani; nisi ÆGIDIVS noster, qui propter sanctitatem & doctrinam apud Reges omnes Principesque summâ auctoritate valebat, libro apologetico, cui titulum *de renunciatione Papæ* præfixit, Pontificis innocentiam defendisset, & Bonifacium legitime fuisse electum solide dilucideque probavisset. Potuisset Bonifacius jam non videri Bonifacius, nisi bene quoque faceret illi, cujus beneficio Bonifacius ad Benedictum non redierat. Calamum ergo Pontificatus etiam insulâ honorare voluit, & ÆGIDIVM dare Bituricensibus Archiepiscopū, ac Primatem Aquitanie nominare, gratulante Philippo Pulchro, bonis omnibus applaudentibus. Sed & Ordini Augustiniano, cui COLUMNAM eripuerat, cavere voluit Papa, & anno eodem evulgavit Constitutionem; *Ad consequendam gloriam*; quâ vetuit prope Ecclesias & Conventus FF. Eremitarum S. Augustini, alios Religiosos mendicantes nova loca infra spatium cannarum CXL. ædificare. Porro munere isto auctus ÆGIDIVS, inter primas curas habuit Bituriges suos divini verbi pabulo abundè lauteque pascere, & quod maximum omnibus in rebus pondus habet, exemplo ad sanctiorem, adeoque cælestem vitam, & mores quotidie incitare; totum se, assiduūque dare rerum divinarum contemplationi, nauseare terrena omnia, nihil sapere, nihil cogitare humanum, nisi cū morbidæ oves salutarem pastoris manum, & oportunitatem remedium implorarent. Hisce occupatum inturbare mulier ausa est, & corporis etiam valetudinem importuna flagitare ab eo, qui tam libenter animas curabat. Ille verò, ut probaret minùs difficilem corporum quàm animarum medicinam, paucis verbis (brevem faciebat cura cælestium) *Vade, ait, bona mulier, fiat tibi secundum fidem tuam.* Et cum dicto mulierem abeuntem salus integra secuta est. Sed hæc aliò spectant. Assedit Concilio Oecumenico Viennæ sub Clemente V. in quo Templariorum Equitum Ordo Romanæ pridem Ecclesiæ oppido salutaris, damnatus est, & qui annis omnino CC. III. floruerat, toto terrarum orbe simul extinctus. Reditus eorum Rhodanis Equitibus cesserunt; ÆGIDIVS ædem & locum, quæ Bituricis habuerant, Augustinianis suis à Philippo Pulchro impetravit. In numerum Cardinalium adscriptus, sed non enunciatus est, morte interveniente, Pontificis, an ipsius ÆGIDII? incertum. Bzovius post Hieronymum Seripandum, vult Bonifacium ÆGIDIO tam bene voluisse, facturum etiam, nisi fato præmaturo atque inopino Pontifex ex humanis abiisset: successorem verò Clementem V. à Proceribus & Rege, quibus Bonifacij famam & fautores damnare volupe erat, inflammatum adversus ÆGIDIVM, prohibitumque destinatâ honorare pupurâ Bonifacij protectorem. Bonus utique hic color, si esset à vetusto penicillo. Alij putant Ioannem XXII. ÆGIDIO de Ecclesiâ optimè merito dedisse locum inter Purpuratos Patres; hunc autem à Deo in Sanctorum consortium adlectum, priùs, quàm evulgaretur, ad cæli cardines transisse. Vero propinquius mihi hoc visum, & falsum Bzovij argumentum. Philippi enim Regis gratiâ excidisse, aut incidisse Clementis Papæ odium quî potuit ÆGIDIVS quos fecit Ordini suo ex Templariorum bonis liberales donatores? Certum quoque est,

Hinc malè
crus. ait sac-
citas ordinis
unitos an.
1256. per
Alex 4

an. 1298.
Gord. sed
malè 1285.

Coriol.
Brenj
Chro. Pons:
& sonc.

an. 1311.

absurdè hallucinari Ioannem de Chenu, qui asserit ÆGIDIUM anno Christi ∞ . CCC. XV. Cardinalium catalogo inscriptum fuisse, cum sedes totum illum annum vacaverit. Cui addit deinde alium non minus crassum errorem (ita nullum peccatum solum est) quando dicit eum Parisijs diem suum obiisse, cum Avenione mortuum esse apud omnes in com-
perto sit. Hic namque illi annis jam gravi morbus prætereà molestus incubuit, & monuit sarcinas colligere, ac parare in coelestem patriam iter. Sed ille, ut expeditior iret, abiecit omnia, & tabulis compositis, per Romanum, Bituricense ac Lutetianum cœnobia disper-
sit. Ista enim amabat præ reliquis: quod ipsum id, ipse hæc Religioni Augustinianæ adge-
nuisset. Sacræ supellectilis Conventum Romanum, profanæ Bituricensem, bibliothecæ & exuviarum suarum Parisiensem, heredes scripsit: ipse coeli hæreditatem adiit vigesimâ se-
cundâ die mensis Decembris, anno trecentesimo sexto supra millesimum. Corpus Lute-
tiam translatum sepultumque in æde Augustinianâ juxta aram templi principem, hoc Epitaphio insignitur.

HIC. IACET. AVLA. MORVM. VITÆ MVNDITIA.
ARCHIPHILOSOPHIÆ. ARISTOTELIS.
PERPICACISSIMVS COMMENTATOR, CLAVIS.
ET. DOCVOR. THEOLOGIÆ. LVX. IN LVCEM.
REDVCENS. DVBIA. FRATER. ÆGIDIVS.
DE. ROMA. ORDINIS. FRATRVN EREMITARVM.
S. AVGVSTINI. ARCHIEPISCOPVS. BITVRI-
CENSIS. QVI. OBIT. ANNO DOMINI M. CCC. XVI.
DIE. XXII. MENSIS. DECEMBRIS.

Scripta ÆGIDII Columnij hæc sunt.
P H I L O S O P H I C A.

In libros Priorum Aristotelis.
In libros Posteriorum, petente Stephano Mauley, viro inter Anglos illustri.
In Topica Aristotelis.
In libros Elenchorum Sophisticorum, rogante Philippo, Guilonis Flandriæ Comitis filio.
In artem veterem.
De medio demonstrationis lib. I.
In libros Rhetoricorum Aristotelis.
De differentiâ Ethicæ, Politicæ, & Rhetoricæ, ad F. Oliverium Ord. Prædicatorum.
In librum de bonâ Fortunâ Commentarius.
In libros Ethicorum Commentaria.
In libros Politicorum Commentaria.
In libros VIII. Physicorum Expositio.
In libr. Arist. de Generatione & corruptione Commentaria, cum Questionibus in eundem de Animâ.
In libros Arist. de Animâ Commentaria, flagitante Iacobo, ex Romanis viro nobili Canonico Rhotomagensi.
In Parva naturalia Arist. Commentaria.
In librum de Causis Commentarius.
De materiâ cæli contra Averroëmem lib. I.
De gradibus formarum accidentalium lib. I.
De intentionibus in medio lib. I.
De formatione humani corporis in utero lib. I. impressus Arimini an. 1626. in 4. apud Ioannem Simbenium.
In libr. Arist. de Physionomiâ Commentarius.
Utrum sit dare plura principia similiciter prima.
De esse & essentiâ Theoremata XXII.
De purificatione intellectus possibilis.
In lib. XII. Metaphysicorum Commentaria.
In eosdem lib. Metaph. Questiones.
De erroribus Philosophorum lib. I.
In Boëtium de Consol. Philosophiæ Expositio.

T H E O L O G I C A.

Hexameron sive de mundo sex diebus condito. lib. II. Romæ apud Antonium Bladum. fol. 1555.

In librum

In librum Canticoꝝum. Romæ apud eundem.
In epistolam ad Romanos. Ibidem apud eundem.
De defectu & deviatione malorum culpa & peccatorum à verbo lib. I. Ibidem apud eundem.
De corpore Christi Theoremata L. Ibidem.
De Charactere lib. I.
De corpore Christi tractatus: requirentibus Dominis & Amicis Ibidem.
De paradiso, purgatorio, & inferno Ibidem.
De articulis fidei. Ibidem.
De Arcâ Noë. Ibidem.
De peccato originali. Ibidem.
De prædestinatione & præscientiâ. Ibidem.
In Ius Canonicum de summâ Trinitate & fide Catholicâ, Firmiter; & super Decretalem, cum Martha; de celebratione Missarum lib. II. Ibidem.
Expositio super Orat. Domin. & salut. Ang. Ibidem.
De concessionibus rerum immobilium, quæ à Regibus Ecclesiæ fieri solent. Ibidem.
De renunciatione Pape. Ibidem.
Contra Exemptos lib. I. Ibidem.
De cognitionibus Anglorum. Ibidem.
De motu Angelorum.
De compositione Angelorum.
De loco Angelorum Quæstiones.
De mensurâ Angelorum.
In primum, secundum & tertium sententiarum. Romæ apud Alexandrum Zannettum 1623.
In quartum sententiarum.
In totum Canonem Biblia, & sufficientiam librorum sacre Scriptura lib. II.
In epist. D. Pauli ad Corinthios.
In omnes Pauli Epistolas.
In Epistolas Canonicas incepta Commentaria.
In Evang. Ioannis libri II.
In illud Canonica Ioannis, Omne quod est in mundo, lib. I.
Contra expositionem Petri Ioannis de Narbona super Apoclypsin, iubente Bonifacio P P.
Defensorium contra impugnantes S. Thomam Aquinatem. Colonia 1623.
Contra Hæreticos lib. quem Ferrens fulmen appellavit.
Compendium Theologica veritatis.
De subiecto Theologia lib. I.
De gradibus formarum lib. III.
De esse & essentiâ, seu de primo principio quæst. XIII.
De resurrectione mortuorum quæstiones septem Parisiis disputata.
De rationibus seminalibus lib. I.
De divinâ influentiâ in Beatos lib. I.
De Ecclesiasticâ potestate lib. III.
De excellentiâ summi Pontificatus.
De gratiarum actione lib. I. ad Bonifacium VIII.
Isagoge seu Introductio Christiana fidei ad Regem Armenia, iubente eodem Pontifice.
De laudibus divinæ sapientiæ lib. I.
Quodlibeta sex.
Sermones solennes ad Clerum.
Sermones alij & Epistola.
Oratio in Philippi Pulchri Galliarum Regis inauguratione, quæ suprâ habetur.

Et alia multa.

Nam ÆGIDIO post Aurelium Augustinum neque plura quisquam in divinis scripsit, neque accuratius. Sabellicus tom. 2. Enneadis 7. lib. 9.

BENIGNO

BENIGNO LECTORI

DEcreveram, juxta nuper promissum datum, cum Lectissimum de Sacramento *Confirmationis* libellum à *Basilio Pontio* compositum, & à me revisum, ederem, multorum ordinis nostri præclarorum Doct rum sudores deterfos tibi repræsentare, & repræsentassem hætenus; nisi partim sæculi nostri undequaque turbatio edendis, divulgandisque libris inimica, partim officij, quod supervenit, impedimenta, & typographi ad hoc ascripti mors intervenissent. Nec linguas aliquorum fuisset veritus quibus quæcumque non sua carpere moris est; idque vel maximè, si talia sint, quæ hujus corrupti sæculi novitatem non sapiant, in quo nihil gratum, nisi quod novum est, nihil fallum aut improbabile, nisi quod titulo vetustatis ingratum: vetera tamen hic profero, quæ ut plurimum, meliora, & pro talibus amplexanda sunt, multis tametsi improbentur: quos vel ideo respuo, quia vera humanitate non præditi morosa sua malitia nihil non in crimen rapiunt, quodvis reprehendunt, contemnunt omnia: ac illis nihil prorsus rectè fit, nisi quod ipsi fecerint: ad hæc tam perditè elatis ingenijs aliorum industriâ, maximè vetustiorum, numquam non satisfacit; non arrident aliena talibus; sed tantum sua probant usque adeo, ut pedorem quoque proprium suavius, quàm aliorum pretiosa unguenta olere contendant in tantum ejusmodi sycophagis imposuit illa animi cæcatrix philautia. Enimverò nec quemquam horremus, nec divum parcimus ulli. Hinc suaviter, & mansuetè prodic *Ægidius Doctorum fundatissimus*, & ideo *humillimus*: eum inter cæteros proposueram, velut antesignanum, pro tali ab ordine habitum. Qualis interim quantusque fuerit, vitæ ejus datum encomium patefecit. Scriptorum ejus ibidem syllabum habes. Omnia simul & acervatim non vulgo, quia tanta eorum moles est: ab hoc opere incipio, quia varium, & in eo quid de varijs variè senserit? panditur: sequentur verò alia, si numen faverit.

Quæstiones has incuratè hætenus editas, ac propterea spretas omnibus ita revidi & correxi, ut ante vix præ mendis intelligibiles, gratæ nunc esse possint omnibus, ni prætaxatos exceperis: non exigui laboris, aut industriæ opus. si quid mendorum adhuc insit, vel typographi est, vel oculos meos lubricè fugit, vel annotavi: ac vel ideo posse à te excusari minime dubito. Singulis quæstionibus suum titulum præmisi, & brevem pericopen, cum conclusione doctrinali, sive doctrinæ summa, interservi, ut vel leviter introspectanti, quid *Ægidius* quaque quæstione tractârit, & senserit, patefieret: cui ad majorem evidentiam marginales adjunctæ notæ serviunt, & passim interpunctiones, omnibus optatissimæ. Subjunxi indices scripturarum explicatarum, quæstionum, ordine Theologico & philosophico, item materiarum toto opere tractatarum.

Quia

Quia vero multis placet diversa de una materia doctorum placita trutinare, multorum farraginem affundo, quaestionum materiam traclantium, designatis locis: hoc quidem ordine, ut Choream Aegidius ducat assumptis secum sui ordinis doctis confratribus; subsequantur verò scola Thomistica cum suo primipilo, item Scotistica, juncto Durando contradicere assueto, Nominalis, Neoterica, ubi inire cum ijs rationem potui. Vtere ergo & fruiere quisquis animo benigno Legis, & veritatem quaeris, non fucos, meque ama, & vale.



ADMODVM REVERENDO ET EXIMIO

PATRI MAGISTRO NOSTRO

P. PETRO DAMASO DE CONINCK
S. T. DOCTORI ET PROFESSORI,

Ordinis D. Augustini Priori Lovanij ejusdemque ordinis librorum
Revisori Generali.

O Bruta perpetuis lateant ne Scripta tenebris,
AVGVSTINI Orbi quae prius ORDO dedit
Ne pereant illi, quondam qui Sydera mundi,
Dum potuere suas irradiare Scholas;
Hac data cura tibi est, labor insuper additus uni,
Ad lucem ut revoces restituasque diem.
O factum bene! nam Doctor dum perlegis, & jam
Ingenio lucem dum facis ipse tuo,
Ad lucem redeunt aliqui, pars erigit aures,
Pars rursus lucem gestit adire novam.
Ipse renascentem debet tibi PONTIVS auram,
Dum meliora novis dat monumenta Scholis.
Nunc ecce AEGIDIUS, magna lux altera Roma,
Fit vestra per te certa COLUMNA Schola.
Succedent alij, quorum dum pollice Scripta,
Iam meliore rotas, ingenioque polis,
Tot SOLES mundo depulsâ nocte reduces,
Atque AVGVSTINI surget ab axe jubar.
Tot facies rutilis terras splendescere Stellis,
Clara sit ut per te Noxque Diesque scholis.
Attamen hos Orbi dum reddis, DAMASE, Soles
An non sol quoque tu lumine magnus eris?
Magnus eris, nam qui facis hos splendescere soles,
Non alius, quam sol splendidus, esse potest.

NICOLAVS VERNVLÆVS Historiographus Regius,
& publicus Eloquentiae professor Lovanij.

ADMO.

ADMODVM REVERENDO ET EXIMIO
PATRI MAGISTRO NOSTRO
P. PETRO DAMASO DE CONINCK
S. T. DOCTORI ET PROFESSORI,


Ordinis D. Augustini Priori Lovanii ejusdemque ordinis
librorum Revisori Generali.

Qualis Prometheus Iapetionides
Per acre fertur remigium Ingenij,
Sublime Pallados-que Numen
Igniculos retulisse Olympo.
Caelestis auræ particulam luto
Humana fingens corpora principi
Iunxisse, solarique raptu
Examines animasse terras.
Talis sagaci præditus indole
Pars ô Virorum Mercurialium
In templa moliris Minervæ
Alta gradum, graderisque calo.
Tu Pennâ in auras divite mortuos
PATRES reducis, tu immeritos mori
Famæ reservas, tuque OROSCVM, &
ÆGIDIVM revocas COLUMNAM
Obliviosi ex nocte silentij
Stantes columnas Ordinis, aureum
Torrente linguæ PONTIVMQVE
Eximium hesperie Magistrum.
Illos ministrâ sedulitas manu
In clara Doctorum intulit agimina,
Et jam COLUMNÆ QVODLIBETIS
Fertilibus recreat peritos
Debent Tibi umbræ nominis incliti
Vitam, fruantur luce quod Ætheris.
Prodesse lapsis semper omnes
Magnificum hoc habuere REGES.
De re mereri sic bene publicâ
I perge, scriptis eximios PATRES
Reduc, Tibi, Ordinique quondam
Non humilem statues columnam.

Accinebat

HENRICVS NOVLANTIVS I. C. Academiæ Lovan-
niensis Filci Advocatus & Syndicus.

FERTI-



FERTILISSIMA QVODLIBETA
D.ÆGIDII COLUMNAE
ROMANI,

S. TH. DOCT. FVNDATISSIMI

CORRECTA ET ILLVSTRATA

P E R

P. PETRVM DAMASVM
DE CONINCK

BRVGENSEM,

Ord. Eremitarum D. Augustini S. Th. Doct.
& Professore Lovanij.

PRIMVM QVODLIBET.



RESOLVIT
*Hic quaestiones
viginti & unam,
sibi propositas
quas omnes jux-
ta divisionem bi-
membrem entis in
ens primum & secundum, distribuit in
duas classes, ut sint vel de ente primo, vel
de ente secundo. Quaestiones autem sunt hae
subsequentes.*

- I. *Vtrum divinâ virtute unum & idem
corpus possit esse simul in duobus
locis?*
- II. *Vtrum prædestinatio possit judari præ-
cibus Sanctorum?*
- III. *Vtrum emanatio Filij sit ratio emana-
tionis creaturarum?*
- IV. *Vtrum substantia Panis converta-
tur in verum corpus Christi?*
- V. *Vtrum Christus sit in caelo empyreo sub
ratione stantis vel sedentis?*

A

VI. *Vtrum*

- VI. *Vtrum Spiritus Sanctus distinguere-
retur à Filio, si non procederet ab eo?*
- VII. *Vtrum in omni ente creato differat
esse & essentia?*
- VIII. *Vtrum substantia Angelica sit com-
posita ex materia & forma?*
- IX. *Vtrum Angeli cognoscant singularia?*
- X. *Vtrum Angeli possint habere cog-
nitionem futurorum contingentium?*
- XI. *Vtrum, & quomodo habeant corporalia
individeri?*
- XII. *Vtrum cælum naturaliter habeat esse
in corruptibile?*
- XIII. *Vtrum oporteat cælum per naturam
aliquando quiescere?*
- XIV. *Vtrum corpus hominis perfecte orga-
nizatum, & summe dispositum ad
animam rationalem ante infusionem
animæ rationalis sit in aliquâ specie
animalis?*
- XV. *Vtrum sint tantum septem genera
peccatorum mortalium?*
- XVI. *Vtrum sermo sit homini naturalis?*
- XVII. *Vtrum intellectus noster possit cog-
noscere in hac vitâ substantias se-
paratas?*
- XVIII. *Vtrum charitas possit crescere in
infinitum?*
- XIX. *Vtrum possit esse malitia in volun-
tate, nisi præcedat aliquis error in
ratione?*
- XX. *Vtrum homines resurgent incorrupti-
biles?*
- XXI. *Vtrum fruantes Deo & videntes
ipsum videant omnia quæ sunt in ipso.
Et sic incipit:*



VT quæstiones propo-
sitæ in nostro quodli-
bet ad debitum ordi-
nem reducantur, di-
cere possumus, quod
ens primâ facie divi-
datur in causam & cau-
satum: vel in actum & potentiam. Ergo
ens vel est actus purus, causa non cau-

sata, ut Deus ipse: vel non est actus
purus; sed est quid causatum habens po-
tentialitatem admixtam.

Omnis igitur quæstio vel erit de en-
te primo, ut de ipso Deo: vel de enti-
bus secundis, ut de rebus causatis &
creatis. Quodlibetum ergo hoc dividetur
in duo Membra quorum primò tractabuntur
illa, quæ spectantia ad Deum veniunt exami-
nanda: secundò ea, quæ spectantia ad crea-
turas. Sit ergo

MEMBRVM I.

De pertinentibus ad Deum.

IN ipso Deo quædam sunt perti-
nentia ad essentiam, ut attributa
essentialia: quædam verò ad perso-
nas, ut proprietates & notionalia. Quæ-
stiones ergo pertinentes ad Deum vel
sunt de essentialibus, vel de personali-
bus. Hinc duæ erunt hujus Membri disputa-
tiones, quarum sit

DISPUTATIO I.

*De pertinentibus ad Deum quoad
essentialia.*

CIRCA essentialia quærebantur
duo. Primò quærebatur de Dei
potentiâ. Secundò de Dei præ-
destinatione. Circa Divinam Potentiam
erat

QVÆSTIO I.

*Vtrum Divinâ virtute unum & idem
simul possit esse in duobus locis.*

INtroducebatur autem hæc quæ-
stio pro beato Ambrosio: qui cum
esset Mediolani, & celebraret ibi-
dem, visum fuit ei, dum erat Mediola-
ni, quod ipse esset Turonis, & interesset
exequiis Beati Martini, tunc defuncti: Sic etiam his, qui intererant exequiis
illis, visum fuit, quod Beatus Ambro-
sius interesset ibidem. Ex hac ergo
sumptâ occasione quærebatur: Vtrum
Divinâ virtute idem posset esse in di-
versis locis?

*Occasio
quæstionis
tractandæ.*

*Fuit Beatus
Ambrosius
existens
Mediolani,
& ibid. ce-
lebrans vi-
sus Turonis
in exequiis
S. Martini.*

Quæstionem hanc tractant auctores subjecti. Ipse
Ægidius à se hic citatus de Eucharistiâ Theoremate 3.
& quodlibeto 2. quæst. 17. Scotus in 4. dist. 10. per mul-
tas qq. & ibid. Major. quæst. 2. Aureolus apud Capreo-
lum

lum dist. 10. q. 1. Occam. quæst. 4. Gabriel. quæst. 1. art. 2. & lect. 46. in can. D. Thomas ibid. quæst. 1. art. 1. & dist. 44. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. ad 4. Richard. ibid. art. 2. quæst. 2. Alensis 4. part. quæst. 11. art. 1. alias quæst. 44. in 7. Durandus quæst. 1. num. 30. & 31. & q. 4. num. 8. & dist. 44. quæst. 6. ad 1. & plures sententiarum circa eandem dist. item D. Thomas in summâ 3. p. q. 75. art. 1. & expressè quodlib. 3. art. Suarez ibid. dist. 48. sect. 4. Vasquez ibid. dist. 189. cap. 5. qui plures ibidem citant. & alii summistæ circa eandem quæst. 4. ejusdem partis. Bellarminus l. 3. de Euch. cap. 3. & 4. & phyci l. de loco.

Hanc verò quæstionem disputat hic Ægidius, primò proponens argumenta pro affirmativa & negativa parte. Secundò quæstionem resolvens. Tertiò respondens argumentis propositis.

PRO PARTE AFFIRMAT.

ET arguebatur quod sic. Quia Deus habet potentiam infinitam non impeditam, ad omnia se extendentem: ergo si ad omnia se extendit ejus potentia, extendet se ad hoc, quod poterit facere, idem esse simul localiter in diversis locis. Ergo potuit facere, quod Beatus Ambrosius existens Mediolani esset etiam Turonis.

PRO PARTE NEGAT.

INcontrarium est. Quia quod est alibi non est hic: si ergo Beatus Ambrosius erat Turonis, erat alibi quàm Mediolani, vel, erat alibi, quàm hic: igitur, si ponebatur esse Mediolani, & esse hic; sequebatur, quod esset hic, & non esset hic, vel quòd esset Mediolani & quod non esset Mediolani. Sed hæc implicat contradictionem: quæ autem implicat contradictionem etiam ipsi Deo non sunt possibilia; ergo &c.

CONCLUSIO.

SICUT per propriam naturam res determinatur ad unam speciem, ita ut per illam non possit esse in duabus speciebus, ita per propriam quantitatem, ut proprias dimensiones res corporalis determinatur ad unum locum, ita ut per eum non possit esse in duobus.

RESPONDETVR, quod suo modo res comparatur sic ad locum per suam quantitatem, ut comparatur ad spe-

ciem per suam naturam: ut sicut res non se extendit extra propria principia propriæ speciei, quantum ad suam naturam, sic se non extendit extra suum locum, quantum ad quantitatem. Sicut ergo una res per unam naturam est in una specie; ut homo per suam humanitatem est in specie humanâ: sic una res per proprias dimensiones est solum in uno loco.

Illud ergo verbum Ambrosij; quod omnis creatura sit certis limitibus circumscripta, in rebus corporalibus veritatem habet: & quantum ad limitationem specificam, quia per unam naturam & res in una specie: & quantum ad limitationem localem, quia res per unam quantitatem, ut per dimensiones proprias, localiter est solum in uno loco.

Itaque verum est, hominem per humanitatem solum esse in unâ specie: sed, si in supposito humano, simul cum humanâ naturâ, adderetur natura leonina; ita quod hæc duæ naturæ, humana & leonina, simul essent in eodẽ supposito (secundum quas illud suppositum esset verus homo & verus leo) diceremus rem illam, vel suppositum illud esse in duabus speciebus: sed, hoc ut esset median- te unâ naturâ, omninò impossibile esset; per unam enim naturam solum est res in unâ specie. Sic & per unam quantitatem, ut per dimensiones proprias, ut dictum est, solum est localiter in uno loco.

SATISFIT ARGUMENTIS.

AD argumentum autem in contrarium; videlicet, quod Deus habeat potentiam infinitam non impeditam dicendum est.

Quod Deus habeat potentiam infinitam: quia potest quidquid habet rationem entis. Quod autem contradictionem implicat, non est possibile: non quod ipse Deus sit impotens: sed quia hoc, quod superfugit rationem entis, non est possibile: Esse autem unum & idem secundum proprias dimensiones localiter in diversis locis, implicat contradictionem: sicut contradictionem implicat, quod unum & idem secundum eandem naturam sit in diversis speciebus.

Hinc sicut per propriam naturam constituitur in unâ specie, sic per propriam quantitatem in uno loco.

Quamvis unum suppositum habens duas naturas esset in duplici specie.

Quod per unam fieri non potest.

Implicans enim contradictionem est impossibile.

Cum superfugiat rationem entis.

Qualis respectus rei per naturam ad speciem, talis ejusdem per quantitatem ad locum.

Questionis
inretim fa-
ctæ resolu-
tio remit-
tatur.

B. autem
Ambrosius
potuit per
visionem
imaginati-
væ Deo
clarè reve-
lante, sibi
persuadere
præsentiam
suam ad
exequias.

Et Turonis
ejus vices
potuit sup-
plere Ange-
lus.

Vtrum autem per alium modum sit possibile, unum & idem esse in diversis locis? patebit, cum quæretur de corpore Christi: ubi ostendetur, quod corpus illud, quod localiter est in Cælo, sacramentaliter sit in altari.

Quod verò addebatur de Beato Ambrosio: ad hoc dicendum; quod potuerit ita per visionem imaginativam ei repræsentari sepultura B. Martini à Deo clarè: ut sibi videretur interfuisse ejus exequijs.

Rursus per Angelum suppletem vicem Beati Ambrosij fieri potuit, quod, qui interfuerunt dictæ sepulturæ crederent Beatum Ambrosium ibi interfuisse.

QVÆSTIO II.

Vtrum prædestinatio possit juvari precibus Sanctorum?

Secundò quæritur de divinâ prædestinatione. Introducebatur autem hæc quæstio propter Trajanum qui ad preces Beati Gregorij egit poenitentiam de peccatis suis: propter quod prædestinatio ejus adjuta fuit per preces B. Gregorij. Ex hoc ergo oriebatur quæstio, Vtrum prædestinatio &c.

Hanc materiam tractant ipse Ægidius in primum dist. 41. quæst. 3. & 4. Durandus quæst. 3. num. 4. Gregor. Arimin. art. 2. & implicite saltem, eadem dist. Scotus & alij. expresse D. Thomas 1. part. quæst. 23. art. 8. cum suis. Suarez 1. 2. de prædest. cap. 21. & 24. Tannerus disp. 3. quæst. 4. dist. 2. num. 13. Vasquez 1. part. dist. 94. cap. 5. Arrubal dist. 79. cap. 2. Ruyz dist. 25. sect. 1. Wiggers 1. part. quæst. 23. art. 5. d. 4.

Ægidius verò hæc tractat hanc quæstionem: primò proponens argumenta pro parte affirmativa & negativa inde enarrat quatuor errores, qui eam materiam contingant. Quorum primus est quorundam veterum Philosophorum, qui post diluvium philosophati sunt, quorumq; meminit Philosophus 1. metaph. & 2. in text. & com. 8. & Averr. 2. Phys. conclus. 26. & 12. Metaph. conclus. 30. & Avicenna primo sue sufficientiæ. Secundus error fuit Ciceronis: cujus meminit Augustinus 5. de Civit. cap. 9. Tertius error fuit Stoicorum: cujus itidem August. meminit ibid. quartus fuit quorundam Ægyptiorum, quorum meminit

Plato lib. 10. de leg. eos dicens peccare in Deum &c.

PRO PARTE AFFIRMAT.

ET arguebatur quod sic. Quia potest aliquis Sanctus alicui mereri primam gratiam: potest ergo mereri & finalem: sed qui habet finalem gratiam est prædestinatus: ergo per preces Sanctorum videtur prædestinatio posse juvari.

Probatur. Dicitur, Rebeccam concepissee ad preces Isaac: sed ex eâ natus fuit Iacob, qui fuit prædestinatus: ergo preces Sanctorum adjuvant ut prædestinati nascantur. Sed hoc non esset, nisi prædestinatio adjuvari posset precibus Sanctorum: ergo &c.

PRO PARTE NEGAT.

IN contrarium est, quod illud, quo posito vel remoto, nihilominus consequitur effectus, nihil videatur facere ad illud: sed cum prædestinatio divina non possit impediri si ponantur preces Sanctorum, si non (nihilominus enim sequetur effectus prædestinationis) ergo nec ad ipsam prædestinationem, nec ad ejus effectum aliquid faciunt preces Sanctorum.

CONCLUSIO.

Precibus Sanctorum potest juvari prædestinatio; non tamen sic, ut hæc divinum propositum immutent, sed quòd eadem velut media illud ipsum propositum adimpleant.

RESPONDEO dicendum, quod circa effectum divinæ providentiæ & prædestinationis, quantum ad præsens spectat, recitare possumus quadruplex errorem.

Vnus fuit quorundam Philosophorum antiquorum credentium, omnia provenire ex casu, vel ex necessitate naturæ.

Quod si hoc esset, nihil subijceretur divinæ providentiæ vel prædestinationi: frustra ergo quæreretur; Vtrum prædestinatio juvari possit Sanctorum precibus? quia, hoc posito, ipsa Dei prædestinatio non esset.

Sed

^a Qui impug-
natur,
quod Deus
sit agens
primum,
quod om-
nium alio-
rum est re-
gularivum.

^b Hinc om-
ne opus na-
tura debet
esse opus
Dei.

^c Nec om-
nia opera
intellectus
nostri sunt
casualia;
qui tamen
est divinæ
imperfe-
ctior.

^d Secundus
error Cicer-
negantis
contingen-
tia subesse
providentiæ
Dei: idque

^e Ne tolle-
ret liberta-
tem.

^f Qui im-
pugnatur.

^g Quia ene-
mus fortu-
næ & effe-
ctus intel-
lectus sunt
opposita.

^h Hinc effe-
ctus fortui-
tus dicitur,
quia ab in-
tellectu im-
provisus.

ⁱ Ob ejus
imperfe-
ctionem.

^l Qui quò
perfectior
tanto pau-
ciores effe-
ctus fortui-
ros habet,
sive ex for-
tunâ.

^m Divinus
autem in-
tellectus
perfectissi-
mus est.

ⁿ Unde ni-
hil ei ex
improviso,
seu fortuna
contingere
potest.

^o Tertius
error Stoic-
dicent, om-
nia necess-
itate fieri.

Sed hoc stare non potest. Nam cum Deus sit agens primum: & cum semper primum sit aliorum regulativum: oportet, totam naturam regulari ab intellectu divino; ita quod omne opus naturæ sit etiam Dei opus.

Videmus autem, quod in operibus factis ab intellectu nostro non omnia sint casualia: ergo multò minùs erit in his, quæ proveniunt ab intellectu divino; cum intellectus noster deficiat ab illo.

^d Secundus error fuit Ciceronis, qui, ut ait *Augustinus lib. 5. de Civit. Dei, c. 9.* credidit, necessaria subesse providentiæ Divinæ, contingentia autem non. Propter quod ne tolleretur libertatem libero arbitrio, & ne cogeretur ponere, omnia opera nostra esse necessaria, noluit ea reduci in divinam prædestinationem, vel providentiam. Quo posito, frustra etiam quæreretur de precibus Sanctorum, & universaliter de humanis actibus in comparatione ad divinam prædestinationem; quia talia omnino essent impertinentia ad prædestinationem divinam.

^f Sed nec hoc stare potest; nam secundum *Philosophum in l. de bonâ fortunâ*, fortuna & intellectus omninò habent modum oppositum; ait enim, quod ubi plurima fortuna, ibi minimus intellectus, & ubi plurimus intellectus, ibi minima fortuna. & ex hoc quidem sunt fortuiti effectus in operibus nostris, quia in actibus nostris multa proveniunt improvisè: unde si intellectus noster esset tantæ potentiæ, quòd omnia prævidere posset, nihil ei accideret casuale: accidit itaq; ex defectu intellectus nostri fortuna: & ubi plurimus intellectus, ibi plurima quoque proveniunt provisa & ordinata. quare oportet ibi fortunam minimam esse. ^m Dicere ergo, divinam providentiam non se extendere ad omnia, & ponere respectu intellectus divini aliqua accidere improvisa, esset dicere, Deum habere defectivum intellectum: quod absurdum est.

Tertius error fuit Stoicorum ponentium omnia provenire ex necessitate, ut narrat *Augustinus 5. de Civit. cap. 9.* Hoc autem posito, nihil prodesse Sanctorum preces: quia illis positis vel remotis nihilominus futura evenirent:

cum illa ex necessitate contingerent.

¹ Sed hæc positio stare non potest; quia periret meritum & demeritum, secundum Sanctos: vel etiam tollerentur negotiatio & consilium, secundum Philosophos: quorum utrumque probat, non omnia ex necessitate contingere.

Istæ ergo tres opiniones erroneæ sunt, quia nimis parum, imò nihil dant Sanctorum precibus: sed ponunt eas inutiles & infructuosas.

² Fuit autem quartus error quorundam Ægyptiorum omninò oppositus præmissi nam illi nihil dabant Sanctorum precibus: hi autem nimis attribuebant eis. Dicebant equidem, preces nostras adeò utiles & fructuosas, quod mutarent divinum propositum & ejus beneplacitum: ut, postquam ipse Deus aliquid proposuisset & disposuisset se facturum, flecteretur ne illa ageret, propter humanas preces.

³ Hæc autem potètia non solum Theologiæ; sed etiam Philosophiæ est omninò contraria. nam non solum secundum Theologos, *Apud Dominum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* sed etiam, secundum Philosophos, devenire est ad aliquid unum immobile per se, & per accidens, & hoc ad intra: divinum ergo propositum oportet esse inflexibile & incommutabile.

⁴ NOS AUTEM, tamquam Catholici tractatores, inter hos errores viâ mediâ incedentes dicamus, orationes nostras esse proficuas, non quod divinum propositum immutent: sed quod ipsum adimpleant; mediantibus enim talibus orationibus fit de nobis, quod Deus disposuit.

⁵ Sic equidem imaginatur *Dionysius l. 3. de divinis nominibus*; quod Deus sit quasi summum coelum, à quo diffundantur quaquaversum multæ radiorum cætervæ, imaginatur enim, quod quilibet ordo secundarum causarum sit quasi quidam radius procedens à Deo tamquam à summo coelo. Si ergo per radios cœlestes, quasi per quosdam funes, ad coelos sursum ascenderet aliquis, videretur fortè ei coelum se flectere ad eum: sed hoc non esset, ipse verò seipsum traheret ad coelum: corpus verò cœleste remaneret immobile & inflexibile. Sic, si mediantibus ora-

¹ Qui impug-
natur,
quia cessaret meri-
tum, de-
meritum,
negotatio,
consilium.

² Quartus
error. Ægy-
ptiorum.

³ Dicen-
tium pre-
cibus &c.
mutari
divinum
proposi-
tum.

⁴ Qui im-
pugnatur,
Deus est
immobilis
ex se respec-
tu sui.

⁵ Hinc di-
cendum, sic
juvare, ut
non ma-
rèr; sed im-
pleant divi-
num propo-
situm.

⁶ Quod d
claratur
compara-
tione Divi
Dionys.

⁷ Dei cum
cœlo, &
causarum
secund,
cum radijs
à cœlo dif-
fusi,

⁸ Per quos
si quis as-
cenderet
videretur
cœlum ad
se inclinare

tionibus Sanctorum & nostris, vel mediantibus aliquibus causis secundis Deus nobis bona faciat, videtur fortè nobis, quod Deus inclinet & flectat se ad nos: non tamen est ita: imò ipse manet tamquam petra immobilis: sed nos ipsi trahimur & movemur, & mediantibus talibus precibus conjungimur divino proposito, ut fiat de nobis, quod ipse ordinavit & disposuit.

Qua dictos errores elidit.

Patet itaque Dionysium ex hoc exemplo omnes præfatos errores elidere. Nam prout dicit, ordines causarum quasi quosdam radios descendere à Deo ad nos, destruit errorem quorundam antiquorum Naturalium, Dicentium, nihil ex ordine, sed omnia ex casu contingere: prout verò dicit, has causas radiorum ubique esse præsentem, destruxit errorem Ciceronis dicentis, divinum ordinem, & providentiam non extendere se ad omnia: quia non extendit se ad humanos actus. Cujus errorem Dionysius abstulit dicens, Divinos radios, seu divinum ordinem ubique esse præsentem. Vt verò subjunxit, quod mediantibus ijs ordinibus secundarum causarum, vel his radijs trahamur ad Deum, removet errorem Stoicorum dicentium, omnia ex necessitate contingere, & consequenter, talia nihil facere ad eventum rerum. Orationes ergo nostræ, quæ inter secundas causas computantur, sunt utiles, quia per eas ad Deum trahimur, ut fiat de nobis, quod ipse disposuit. Sed cum ultimò addidit, quod ascendendo per tales radios, vel per tales ordines causarum non immutemus divinum propositum, nec faciamus Deum mutabilem, nec ipsum ad nos trahamus: sed nos ipsi ascendamus, nos ipsi sumus qui mutemur, nos ipsi trahamur ad ipsum Deum, tamquam ad aliquid stans fixum & immobile, destruxit errorem Ægyptiorum dicentium, orationes nostras flectere & immutare divinum propositum.

Non ut ipsum flectamus, & immutemus eum, qui est immutabilis.

Non enim divinum propositum secundum se.

Patet igitur, quomodo divina prædestinatio juvetur precibus Sanctorum: scilicet, non quod per eas divinum propositum immutetur, sed quod mediantibus eis divinum propositum adimpleatur.

Si igitur divina prædestinatio dicat

divinum propositum in se acceptum, non juvatur Sanctorum precibus; quia nullum æternum juvatur per aliquod temporale: sed si divina prædestinatio non dicat divinum propositum absolute in se consideratum: sed ut impletur mediantibus causis in effectu, sic prædestinatio divina juvatur precibus Sanctorum & operibus Sanctis: quia coadjutores Dei sumus, in quantum mediantibus Sanctis orationibus, alijsque nostris bonis operibus adimpletur, quod de nobis Deus disposuit, & consequimur divinæ prædestinationis effectus.

Sed in effectu juvatur precibus &c.

RESP. AD ARGVMENTVM OPPOSITVM.

QVOD VERO dicebatur, quod orationibus Sanctorum positus vel remotis, nihilominus sit divina prædestinatio; cum talia eam variare non possint, ut patet per habitam explicandum est, quod Sanctorum preces non juvent divinam prædestinationem, quasi per eas divinum propositum varietur: sed quia in effectu per tales orationes, tamquam per secundas causas, divinum propositum adimpletur.

Tamquam causas secundas.

DISTIBVTIO QVÆSTIONVM SEQVENTIVM.

Posteà quærebatur, de pertinentibus ad Deum, quantum ad personalia. Et circa hoc quærebatur dupliciter; nam primò quærebantur aliqua pertinentia ad personam Filij: Secundo quærebatur aliquid pertinens ad personam Spiritus sancti. Persona autem Filij dupliciter potest considerari, secundum quod in ipso duplex est natura; divina; scilicet, & humana: secundum divinam quidem æternaliter emanat à Patre: secundum humanam verò temporaliter est genitus ex Matre.

RVRSVS secundum humanam naturam habet duplex esse: unum Sacramentale in altari, aliud locale in coelo empyreo.

DISPUTATIO II.

*De Pertinentibus ad Deum quantum
ad personalia.*

ITaque circa personam Filij triplex erat quæstio. Primò quærebat de emanatione æternâ, & erat quæstio: *Vtrum emanatio Filij, vel etiam emanatio personarum sit ratio emanationis creaturarum?* Secundò quærebat de ejus esse sacramentali, *Vtrum substantia panis convertatur in substantiam corporis Christi?* Tertiò erat quæstio de ejus esse reali locali, *Vtrum in calo empyreo Christus staret, vel sederet?* Addebatur quarta quæstio de Personâ Spiritus Sancti; scilicet, *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, utrum distingueretur ab eo?*

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI III.

Vtrum emanatio Filij sit ratio emanationis creaturarum?

Materia hanc examinant ipse Agidius in primum sentent. dist. 27. quæst. 3. quæstiunc. 4. Franciscus à Christo ibid. quæst. 3. Divus Thomas ibid. quæst. 3. art. 3. & 1. part. q. 34. art. 3. Cajer. ibid. cum Thomistis communiter. Scotus d. 27. quæst. 3. Fran. Maro ibid. quæst. 4. Bass. ibid. quæst. 3. art. 2. cum Scoristis passim. Aureolus ibid. art. 3. Occam. ibid. quæst. 3. Gabriel ibid. quæst. 3. art. 3. Suarez l. 9. de Trinit. cap. 6. & 7. Vasq. disp. 143. c. 3. Turrianus quæst. 34. art. 3. d. 18. dub. 3. Albertin. tom. 2. cor. quæst. 14. d. 1. num. 8. Tannerus l. 4. quæst. 4. d. 3. Ruycius de Trinit. disp. 62. & 63.

Et hanc quidem quæstionem hic tractat Agidius primò arguendo pro utraque parte tam affirmatîva quàm negativâ: inde suam mentem exponit concludendo pro aff. sent. quam explicat per oppositionem modi intelligendi, quo nos intelligimus ad modum quo Deus. Tandem satisfacit argumento posito pro parte negativâ.

PRO PARTE AFFIRMAT.

AD primum sic proceditur, & probatur quidem, emanationem Filij esse rationē emanationis creaturarum. Quia omnia comparantur ad Deum, tamquam artificialia ad Artificem; omnium enim est artifex, om-

nem habens virtutem. sed ars, cujuslibet artificis est ratio, quare emanent omnia artificialia ab ipso: cum ergo Filius emanet à Patre tamquam ars ejus, emanatio Filij est ratio emanationis creaturarum. Quod autem Filius emanet à Patre tamquam ars ejus, probatur per *Aug. 6. de Trinitat. cap. 10. usque ad finem.* ubi dicitur, *quod Filius est ars omnipotentis, atque sapientis Dei, plena rationibus omnium viventium, & incommutabilem.*

PRO PARTE NEGAT.

IN contrarium est; si emanatio Filij, vel universaliter emanatio Personarum esset ratio emanationis creaturarum; cum effectus ducat in cognitionem causæ, possemus per creaturas devenire in cognitionem emanationis Personarum: & ita per naturalem rationem poterit cognosci Sanctissima Trinitas: quod est falsum.

CONCLUSIO

Emanatio Filij est ratio emanationis creaturarum.

RESPONDEO dicendum, quod Resp. aff. emanatio Filij, & universaliter emanatio Personarum sit ratio emanationis creaturarum.

Probatur, quia creaturæ procedunt à Deo, ut artificialia ab artifice. Nam tractatores Sacrorum eloquiorum dicunt, quod Deus sit omnium artifex, omnē habens virtutem, omnia prospiciens. Sic etiam Philosophi hoc senserunt: unde *comment. 12. Metaph. art. Phil.* quod, quæ hic inferius aguntur, & etiam omnes dispositiones stellarum procedant ab unâ arte intellectuali principali, quæ dicitur Divina.

Rursus procedunt creaturæ à Deo ut volita à volente. Quia secundum *Augustinum 4. de Trinit. cap. 17. nihil hic inferius agitur, quod ab illâ summâ voluntate, ab illâ supernâ aulâ summi Imperatoris non jubeatur, aut permittatur.* Prout igitur procedunt creaturæ a Deo, ut artificialia ab artifice, Filius, qui est ars Patris, & verbum ejus, est ratio emanationis ipsarum: sicut etiam ut procedunt ab eo tamquam volita à volente, sic Spiritus Sanctus, qui procedit per modum volun-

Creaturæ enim à Deo procedunt, ut artificialia ab artifice.

Et ut volita à volente.

Quomodo Spir. S. est ratio emanationis ipsarum

voluntatis, & est amor Patris & Filij, est ratio quare emanet quælibet creatura.

Modus noster intelligendi oppositus modo divino.

Intellectus enim noster est potentia pura in genere intelligibilium: sicut materia in genere entium.

Intelligit enim prius alia à se, & tunc actum suum, tandem seipsum.

Aliter intellectus divinus.

Nam cognoscit alia cognoscendo se.

Cum sit actus purus.

VT ERGO hæc veritas patefiat, sciendum est, quod modus noster intelligendi sit quasi omnino oppositus modo intelligendi divino: nam noster intellectus (ut vult *Comentator in 3. de animâ*) est quasi potentia pura in genere intelligibilium; sicut materia est potentia pura in genere entium: sicut ergo à materiâ in genere entium nullus actus potest egredi, nisi informetur aliquâ formâ; sic ab intellectu nostro in genere intelligibilium nullus actus potest egredi, nisi informatus sit aliquâ specie intelligibili: nisi ergo intellectus noster informetur specie lapidis, vel specie leonis, vel aliquâ aliâ specie intelligibili abstractâ à phantasmatibus, non potest aliquid actu intelligere: & tunc illa species prius ducit in cognitionem ejus, cujus est, quàm ducat in cognitionem ipsius intellectus.

Erit ergo hujusmodi ordo in intelligentione nostrâ; quod intellectus primò intelligat objecta alia à se: postea cognoscat actum, per quem attendit ad talia objecta: ultimò cognoscat seipsum, à quo egreditur talis actus. Bene ergo dictum est, quod scribitur à *Philosopho 3. de animâ*: quod intellectus noster cognoscat seipsum, sed prius cognoscendo alia.

Sed intellectus Divinus, è converso, cognoscit alia cognoscendo se; nam divinus intellectus non est potentia pura: imò est actus purus in genere intelligibilium, & multò magis in genere entium: nihil ergo cognoscit per speciem aliam à se: quia tunc non esset actus purus in genere intelligibilium; sed esset in potentiâ ad intelligendum. Omnia ergo cognoscit per essentiam suam. Cum ergo divina essentia magis conveniat cum seipsâ, quàm cum rebus alijs, hujusmodi essentia primò & principaliter erit ratio cognoscendi seipsam, & existens ratio cognoscendi seipsam erit ratio cognoscendi alia: idque in quantum est exemplar & paradigma omnium aliorum. Deus ergo principaliter cognoscit se, & cognoscendo se cognoscit alia.

Hoc visò, satis apparet, quomodo

emanatio Verbi divini sit ratio emanationis omnium aliorum. Nam tamen si Deus nihil aliud intelligeret, nisi seipsum, adhuc generaret in seipso Verbum, & produceret Filium: & si Deus nullo modo intelligeret creaturas, creaturæ non possent ab ipso procedere; attamen, cum quod Deus intelligat se, sit ratio cur intelligat alia, emanatio Verbi divini etiam est ratio emanationis omnium aliorum, quæ a Deo emanant, ex eo quod Deus intelligat se: quæ nempe non emanarent nisi Deus illa intelligeret.

Et quod dictum est de Verbo, quod sit ratio emanationis creaturarum, ut procedunt à Deo, velut artificè & intelligente, intelligendum est de Spiritu Sancto, quod sit ratio emanationis ipsarum, ut procedunt à Deo, tamquam volita à volente. Nam sicut Deus Pater, si nihil aliud intelligeret nisi se, adhuc produceret Verbum: sic Pater & Filius, si nihil aliud vellent, nisi bonitatem suam, adhuc spirarent Spiritum Sanctum; tamen si Deus nihil aliud vellet nisi se, & nullo modo vellet creaturam, nullo modo creatura in esse procederet. Itaque cum Deus volendo se velit alia, sicut intelligendo se intelligit alia: Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio, ex eo quod velint bonitatem suam, erit ratio emanationis aliorum; quæ tamen non procederent à Deo, nisi ipse ea vellet.

Concedendum est ergo, tam emanationem Filij, quàm Spiritus Sancti esse rationem emanationis creaturarum: aliter tamen & aliter; quia emanatio verbi est hujusmodi ratio, ut creaturæ procedant à Deo, ut intellecta ab intelligente: sed emanatio Spiritus Sancti est hujusmodi ratio, ut creaturæ procedant à Deo, tamquam volita à volente.

SOLVTIO ARGVMENT.

AD hoc autem quod arguebatur in contrarium; quia tunc per naturalem rationem possemus cognoscere Trinitatem: Dici debet, quod per naturalem rationem cognoscere possemus, quod per divinum Verbum facta sint omnia: sed quod illud divinum Verbum realiter differat ab eo,

Tamen si nil aliud à se cognosceret, produceret verbum,

Cognoscendo tamen se cognoscit alia,

Et idem dicendum de Spiritu Sancto respectu creaturarum.

Quamvis aliter & aliter.

Naturaliter hinc potest cognosci, per divinum Verbum omnia facta esse; non tamen quod sit à Patre distinctum,

eo, à quo procedit, ad hoc non sufficit ratio naturalis: Trinitas autem Personarum non est sine reali differentiâ. Idè non obstante, quod emanatio Personarum sit ratio emanationis creaturarum (quia per divinum Verbum facta sunt omnia) non possumus tamen per naturalem rationem concludere Trinitatem.

QVÆSTIO II.

QVODLIBETI IV.

Vtrum substantia Panis convertatur in verum Corpus Christi?

Examinant hanc materiam ipse Ægidius libro Theorematum th. 1. & 2. Divus Thomas in 4. d. 11. quest. 1. art. 3. Paludanus ibid. art. 2. Soto in 4. d. 9. quest. 2. art. 4. & possim sententiarj. Divus Thomas 3. part. quest. 75. a. 4. & sequentibus. & ibid. Thomistæ & alij ejusdem Commentatores. Item Suarez ibid. disp. 50. Præpositus ibid. dub. 6. Vasq. d. 81. & cum alijs Bellarmijn 3. de Eucharist. cap. 18. videatur etiam Ægid. lib. 8. Physic. lect. 23.

Hanc verò difficultatem Ægidius hic discutiens primò ponit argumenta pro parte negativa & affirmativa: deinde dissolvit quatuor difficultates, quæ materiam illam faciunt difficilem intellectu: tandem respondet argumentis factis. Et sic incipit.



Secundò quærebatur de Christo homine in quantum habet esse Sacramentale in altari. Et erat questio, Vtrum substantia panis convertatur in verum corpus Christi?

ET arguebatur quod non: quia (ut dicebatur) discurrendo per omnes species mutationis, non poterit quis ibi assignare aliquam talium specierum; non enim est ibi generatio & corruptio: quia tales sunt termini motus: ibi autem non fit aliquis motus, cujus tales sint termini.

Rursus augmentum & diminutio sunt motus ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, loci mutatio ad situm: prædicta autem conversio terminatur ad substantiam, non ad quantitatem, nec ad qualitatem, nec ad ubi; nullam ergo speciem mutationis ibi salvare poteris: sed conversio quandam speciem mutationis importare videtur; ergo &c.

Præterea in omni conversione, vel in omni transmutatione oportet præsupponere aliquod subjectum, ut materiam, quæ maneat in totâ transmutatione: sed si fieret talis conversio, ut ponit Ecclesia, non esset ibi assignare aliquam substantiam, quæ tamquam commune subjectum subijceretur illi conversioni; ergo impossibilis est talis conversio.

IN contrarium est Damascenus, qui vult, quod Christus incipiat esse sub speciebus hostiæ; non quod descendat inferius, & quod recedat à caelo empyreo: sed quod substantia panis convertatur in corpus ejus.

CONCLUSIO.

S*Ine permanentia ullius subjecti communis, in consecratione Sacramenti Eucharistiæ, convertitur tota substantia panis in totam substantiam corporis Christi.*

RESPONDEO, Dicendum, quod circa hanc sanctissimam conversionem, quantum ad præsens spectat, quatuor magnæ difficultates emergant.

PRIMA est; quod, ut in arguendo tangebatur, in omni transmutatione præsupponatur aliqua substantia, tamquam subjectum transmutationis illius: ut in transmutatione accidentali præsuppositum substantia compositi, in transmutatione verò substantiali, saltem præsupponitur substantia, quæ est materia: sed hic nulla est substantia communis, quæ maneat conversione factâ (sic enim convertitur panis in corpus Christi, quod nec maneat panis materia, nec ejus forma) sed tota substantia panis transubstantiatur in totam substantiam corporis Christi. Igitur quia hæc conversio differt à cæteris transmutationibus, difficile est videre; quomodo hoc fieri possit, & quomodo non oporteat ibi supponere aliquod subjectum commune.

SECUNDA difficultas consurgit; quia in hac conversione convertitur aliquid in aliud actu præexistens: quod numquam videmus in conversionibus naturalibus. Si enim naturaliter convertatur aqua in ignem; ignis, qui generatur ex aqua, numquam fuit actu præexistens: sed tunc esse incipit, quando jam est aqua transmutata in ipsum.

Quatuor difficultates.

Prima est.

Quod in omni transmutatione detur subjectum transmutationis.

Hic autem non; cum tota substantia panis convertatur in corpus Christi.

Secunda difficultas

Quin corpus Christi præexistit conversioni.

sed corpus Christi, in quod transubstantiatur substantia panis, actu præexistebat prius, quam substantia panis converteretur in ipsum.

3. Diff. quia alioquin Christus esset in diversis locis.

TERTIA difficultas est; quod ex hoc videretur sequi, quod idem esset in diversis locis: quia si corpus Christi non recedens à coelo empyreo incipiat esse sub speciebus hostiæ in altari, erit idem in diversis locis, in altari scilicet & in coelo.

1. Diff. quia corpus Christi majus est speciebus.

QVARTA difficultas est, quod tunc majus continebatur à minori. Nam, cum substantia panis convertatur in totum corpus Christi, erit totum corpus Christi sub speciebus hostiæ: ergo continebatur majus à minori, quod est inconueniens.

SATISFIT MOTIS DIFFICULTATIBVS.

AD HAS autem difficultates sic possumus respondere, idque ostendendo, quomodo hæc sint possibilia divinæ potentiae.

Agens agit ut est in actu.

Hinc sicut esse Dei, non præsupponit subiectum; sic ejus agere non supponit subiectum in passio.

Hinc potest totum in totum convertere.

Secus est in creaturâ.

PRIMA ergo difficultas sic tollitur. Nam, cum agere præsupponat esse, & quod agit, agat, ut est in actu, oportet nos loqui de actione rei, ut loquimur de eius esse. Sicut ergo differt esse Dei ab esse cujuslibet creaturæ; sic suo modo differt actio ejus ab actione alterius: cum ergo esse Dei sit esse purum, & non sit esse receptum in aliquâ potentia, tamquam in subiecto; sicut esse ejus non præsupponit potentiam, in quâ recipiatur, sic non oportet quod actio ejus præsupponat potentiam ex parte passi, vel subiectum, in quod recipiatur: sed potest totum producere, & totum in totum convertere non præsupponendo aliquod subiectum commune. Creatura verò, quia habet esse receptum in aliquo, & habet aliquid potentiale admixtum, & non secundum se totam est in actu; ideo actio ejus semper præsupponit subiectum & potentiam ex parte passi, in quod ejus actio recipiatur: ideoque non potest rem totam producere, nec potest totum in totum transmutare: sed solum hoc agit, quia facit quod materia, quæ est sub formâ unius, fiat sub formâ alterius. Semper ergo in actione creaturæ oportet dare aliquod subiectum com-

mune: sed non oportet hoc in actione divina.

SECUNDA autem difficultas sic evacuatur: quod agens divinum in duobus differat ab agente naturali. Primum quidem, quod agens naturale agat per transmutationem & motum. Cum enim agens per naturam sit instrumentum ejus, quod agit per intellectum; & de ratione instrumenti sit, quod moveat motum: sequitur non posse agens naturale agere, nisi per transmutationem & motum. Cum ergo motus discontinuatus non redeat idem numero, formæ cedens in potentiam materiæ, & posteaeducta denuò per agens naturale non reedit, nec potest redire eadem numero: sed quia potest Deus agere absque transmutatione & motu, potest eandem numero formam restaurare.

Agens naturale agit per motum, cum sit instrumentum agentis intellectus. hinc

Cum motus interruptus non redeat,

Non potest reproducere formam semel destructam. Secus de Deo dicendum

Est ergo prima differentia inter agens naturale & divinum: quod agens naturale agat per transmutationem & motum, & ideo non possit eandem formam numero restaurare: agens autem divinum possit; cum possit agere absque motu & transmutatione.

Secunda autem differentia est; quod agens naturale immediatè attingat materiam, ut est quanta; cum eam attingat, ut est subiecta transmutationi & motui: sed agens divinum immediatè attingat materiam, ut est quid; cum omnibus immediatè det esse, & immediatè conservet omnia per essentiam.

Hinc agens naturale tantum attingit materiam, ut est quanta.

Deus verò, ut est quid

Et quia una materia non differt ab aliâ secundum essentiam, & ut est quid: sed prout est sub diversis partibus quantitatis, quidquid agens divinum potest facere de una materia, potest etiam de aliâ; cum eadem materia sit omnium secundum quidditatem & essentiam. Sed agens naturale hoc non potest. Igitur si Deus possit illam eandem formam restaurare numero, quæ cessit in potentiam materiæ, & quod potest de unâ materiâ, possit de aliâ, poterit formam eandem numero, quæ est in unâ materiâ inducere in aliam. Quod faciendo, materiam converteret in materiam, & formam in formam, & totum in totum, & cōversum erit aliquid in aliud actu præexistens. Vtrum autem Deus hunc ordinem teneat in cōversione panis in corpus Christi, non est præsentis speculationis

Quomodo non differt ab aliâ: sed solum prout est sub diversis partibus quantitatis,

Quam in in aliam convertere potest.

nis sufficiat ad præfens, scire, quod Deus possit convertere aliquid in aliud actu præexistens: quæ erât secunda difficultas assignata.

Tertia difficultas.

Diverso modo Christus est in altari & in cœlo.

TERTIA DIFFICULTAS sic tolli debet: quia scilicet, secundum quod communiter dicitur, Christus in altari, & in cœlo non est eodem modo: sed in cœlo est localiter, in altari verò sacramentaliter: & ideò, ut dicunt, non est inconveniens. Sed hoc non sufficit: quia sive sacramentaliter, sive localiter; verè tamen corpus Christi est in altari, & vere in cœlo: ideoque quæritur, Quomodo hoc fieri possit?

Sciendum ergo, quod (ut suprà dicebatur) licet eadem res per eandem naturam non possit esse in diversis speciebus; tamen per aliam & aliam naturam possit: ita una & eadem res per eandem dimensiones non possit esse, nisi in uno loco; tamen per alias & alias dimensiones possit: corpus autem Christi non per easdem dimensiones sit in cœlo & in altari; in cœlo enim est mediantibus dimensionibus proprijs: in altari verò mediantibus dimensionibus panis: ex quo proinde sequitur, quod existens in cœlo, & in uno altari possit simul esse in alio altari, & in multis altaribus: sed hoc non erit mediantibus eisdem dimensionibus: nam in cœlo empyreo erit mediantibus proprijs: in altari verò mediantibus dimensionibus panis, nec mediantibus ijsdem dimensionibus panis erit in diversis altaribus: quin potius mediantibus unis dimensionibus panis, erit in uno altari: at mediantibus alijs dimensionibus panis, erit in alio altari.

Proprijs dimensionibus in cœlo, alienis in altari.

Et diversis, in diversis altaribus.

Quarta difficultas.

Sicut substantia per quantitatem alicubi existens est ibi divisibiliter.

Sic quantitas mediantem substantiâ est indivisibiliter.

QVARTA DIFFICULTAS autem sic tollitur. Nam sicuti, cum substantia corporalis est alicubi mediante quantitate, licet substantia de se sit quid indivisibile; tamen, quia quantitas est quid divisibile, erit ibi substantia modo divisibili: sic, si esset è converso, quod substantia non esset alicubi mediante quantitate; sed magis quantitas esset mediante substantiâ: cum substantia de se sit quid indivisibile, esset ibi quantitas modo quasi indivisibili. Sic est autem in proposito, quia substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, & est ibi quantitas

mediante substantiâ; ita quod per se primò, & ex vi Sacramenti in altari sit substantia corporis Christi, & mediante substantiâ sit ibi quantitas, & alia accidentia: quare erit ibi quantitas modo quasi indivisibili. Et hoc est, quod communiter dicitur, & benè, quod non sit ibi quantitas modo quantitativo. Imò loquendo de totalitate substantiali, cum in totâ hostia sit tota substantia panis, & qualibet parte hostiæ sit etiam totum illud, quod requiritur ad substantiam panis (quia quælibet pars panis est panis) non solum Christus totus est in totâ hostiâ: sed etiam est totus in qualibet parte hostiæ. Patet igitur quod substantia panis, etiam non præsupponendo commune subjectum, convertatur in totam substantiâ corporis Christi.

Vbi Christus totus est sub qualibet parte hostiæ.

Rursus, licet natura non possit convertere aliquid in aliud actu præexistens: tamen propter duas differentias, quas habet agens naturale ad agens divinum, potest virtute divinâ converti substantia panis in corpus Christi non obstante quod corpus Christi conversioni illi actualiter præexistat.

Amplius: non obstante, quod mediantibus dimensionibus proprijs corpus Christi sit localiter in cœlo empyreo, est tamen sacramentaliter in altari mediantibus dimensionibus panis.

Et ulterius, quia tota hostia est panis, & quælibet pars hostiæ est panis; quandoquidem ex hoc fiat totum corpus Christi (quia tota substantia panis convertitur in ipsum) cum in qualibet parte hostiæ reperiatur totum id, quod pertinet ad totalitatem substantiæ panis, erit non solum totum corpus Christi in totâ hostiâ; sed etiam erit totum in qualibet parte hostiæ.

RATIONES verò sophisticæ sunt; quia ex sensibilibus procedunt: ideoque contradicunt his, quæ tenet fides Catholica de hac sanctissimâ conversione, si eas cum diligentiam meditemur. Ad primum dicendum, quod species transmutationis, quas narrat Philosophus, præsupponant ali-

Per conversionem, quæ non præsupponat subjectum commune.

QVÆSTIO III.

QVODLIBETI V.

*Vtrum Christus in cœlo empyreo sit sub
ratione stantis, vel sedentis?*

*Occasione quorundam locorum Sacra Scripturae quæstio
hæc solet à multis tractari. Marci ultimo. Coloss. 3.
vers. 1. a. 8or. 7. vers. 55. unde videri ibidem possunt
Commentatores, & speciatim post antiquos citato
actorum loco Petrus Lintrensis, & omnibus locis Corn.
à Lapide. Item Iansenius in Concord. c. 250. in fine.
In uno equidem sedere Christus in altero stare ad
dexteram Dei Patris dicitur. Videri etiam possunt com-
ment. in illud Sap. 1. *Sicut scintilla in arundine discen-
rent.* Et Isaïæ 40. *Assument pennas sicut aquile: current
&c.* At verò Scholast. generaliter hoc de omnibus Bea-
tis examinant, ubi de Dote agitur. D. Thom. in 4. d. 44.
quæst. 2. art. 3. Scot. d. 49. quæst. 4. art. 7. A Palud. q. 4.
& iterum D. Thom. 1. 2. quæst. 4. art. 6. & ibid. Tho-
mistæ. Item in addit. quæst. 84. art. 1. Scot. in 4. d. 49.
quæst. 14. Ric. ibid. art. 3. quæst. 7. Major. ibid. q. 18.
Durand. d. 44. quæst. 7. Gabriel quæst. 2. a. 2. Pu-
teanus 1. 2. q. 4. a. 6. d. 3. Ægid. Lusitan. de Beat. tom.
3. l. 5. q. 5. a. 1. Salas. 1. 2. tom. 1. q. 5. a. 5. tr. 2. d. 14.
sect. 18. Mald. q. 4. a. 6. d. 21. & particulariter de Christo
Suar. 3. p. tom. 2. q. 54. a. 4. d. 48. sect. 4. & plures alij.*

*Ægidius verò hic, ut respondeat ad istam
questionem, primò argumentatur pro ratio-
ne stantis; tandem sedentis, inde questioni
respondens solvit utrimque argumenta po-
sita. hoc modo.*

Tertiò quærebat de Christo
homine, prout in cœlo empy-
reo habet esse locale. Et erat
quæstio, Vtrum sit ibi sub ratione stan-
tis, vel sub ratione sedentis?

ARGVEBATVR quidem, quod
ibi esset sub ratione stantis; quia Ste-
phanus intendens in cœlum, & videns
gloriam Dei ait: *Ecce video cœlos aper-
tos, & Iesum stantem à dextris virtutis
Dei.* Actor. 7. ergo (ut dicebatur) est
ibi sub ratione stantis.

IN CONTRARIUM est; quia in
Isaïa cap. 32. legitur: *Sedebit populus meus
in plenitudine pacis, & in requie opu-
lentâ, & in tabernaculis fiducia:* sed mem-
bra debent conformari capiti: si ergo
populus sedebit & Iesus sedet.

Præterea ad *Hebræos primo* legitur; *qui-
cum sit splendor gloria, & figura substantia
eius sedens ad dextram Dei Patris in excelsis.*
Ergo &c.

RESOLVTIO.

Christus in cœlo empyreo non habet ne-

*cessariò certum situm in proprietate sermonis;
sed stat vel sedet &c. secundum suum bene-
placitum: quamvis sæpenumero metaphoricè
tum stare, tum sedere &c. dicatur.*

RESPONDEO dicendum, quod,
quamvis in alijs scientijs sit so-
lùm sensus litteralis, quem signi-
ficant voces: in sacrâ tamen paginâ præ-
ter sensum litteralem, quem signifi-
cant voces, sit etiam sensus mysticus,
quem significant res.

Possêt autê ad hoc quædam levis per-
suasio adduci. Quia aliarum scientiarum
dicitur homo auctor: sed in sacrâ pa-
ginâ quodam speciali modo dicitur au-
ctor Deus: cum ergo homo sit factor
vorum, & non naturalium rerum; Deus
autem ipsas res naturales in esse pro-
duxerit; dignum est quod in scientiâ
divinâ non solùm fumantur voces ad
significandum, sed etiam res: in huma-
nâ verò scientiâ congruum est, ut so-
lùm voces adducantur ad significan-
dum.

Cùm ergo quæritur, Vtrum Chri-
stus in cœlo empyreo sit sub ratione
stantis, vel sedentis? aut loquimur se-
cundum sensum mysticum, quem sig-
nificant res, aut secundum sensum li-
teralem, quem significant voces. Si in-
troducitur sit quæstio secundum sensum
mysticum, dici potest, quod secun-
dum diversas metaphoras concedere
possimus, Christum esse sub ratione
stantis; scilicet, in quantum paratus est
semper ad nos auxiliandum: & esse ibi
sub ratione sedentis; scilicet, quia est
ibi in requie opulentâ. Sed si loquamur
secundum sensum litteralem, non est
notum qualiter ibi sit. Vnde dicendum,
quod si placeat ei stare, esse sub ra-
tione stantis: si sedere, sub ratio-
ne sedentis; sicut enim ei placet, sic
est.

AD ARGUMENTA dicendum,
quod, secundum Dionysium, mystica
Theologia non sit argumentativa; &
prout dicitur à Philosopho circa finem
secundi posteriorum, non est in metapho-
ris disputare. Si ergo loquamur de ses-
sione & statu metaphorico, secundum
aliam & aliam metaphoram simul stat
& sedet. Argumenta ergo procedebant
suis

Profane
littera tan-
tùm habent
sensem lit-
teralem.

Sacræ etiâ
mysticum:

Quia illa-
rum auctor
homo, ha-
rum Deus;
qui est au-
ctor tam
rerum,
quàm vo-
cum.

Hinc utra-
que adducit
ad signifi-
candum

In sensu
mystico
stat vel se-
det Chri-
stus juxta
diversas
metapho-
ras.

In sensu
litterali
prout ei
placet.